

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Pena siue punitio ad  
cum fonte primo

Quis putas tunc meror erit,  
que tristicia cum separabuntur impii a  
consortio sanctorum et a uisione Dei,  
et traditi in potestate demonum ibunt  
cum ipsis in ignem eternum, ibique  
semper erunt sine fine in luctu et gemitu.



Quis, putas, tunc moeror erit,  
quis luctus,  
quae tristitia, cum separabuntur impii a  
consortio sanctorum, et a visione Dei:  
et traditi in potestatem daemonum, ibunt  
cum ipsis in ignem aeternum, ibique  
semper erunt sine fine in luctu et gemitu!

Procul quippe a beata paradisi patria  
exsulantes, cruciabuntur in gehenna  
perpetua, nunquam lucem visuri,  
nunquam refrigerium adepturi; sed per  
millia millium annorum in inferno  
cruiciandi; nec inde unquam liberandi,  
ubi nec qui torquet, aliquando  
fatigatur; nec qui torquetur,  
aliquando moritur.

Sic enim ignis ibi consumit, ut semper  
reservet; sic tormenta aguntur, ut semper  
renoventur. Juxta vero qualitatem culpae  
poenam sustinebit unusquisque  
gehennae, et similis culpae rei suis  
similibus jungentur cruciandi. Nihil  
aliud ibi audietur nisi fletus et planctus,  
gemitus et ululatus, moerores atque  
stridores dentium: nihilque ibi videbitur,  
nisi vermes, et larvales facies tortorum,  
atque teterrima monstra daemonum.

*Vermes crudeles mordebunt intima*  
*cordis: Hinc dolor, inde pavor, gemitus,*  
*stupor, et timor horrens.* Ardebuntque  
miseri in igne aeterno in aeternum et  
ultra. In carne cruciabuntur per ignem, in  
spiritu per conscientiae vermem.

Ibi  
erit dolor intolerabilis,  
timor horribilis, fetor incomparabilis,  
mors animae et corporis sine spe veniae  
et misericordiae.

Vbi  
erit dolor intolerabilis,  
fetor incomparabilis, timor horribilis,  
mors corporis et anime, sine spe uenie  
et misericordie;  
ubi nec qui torquet aliquando  
←  
fatigatur, nec qui torquetur  
aliquando moritur,  
sed  
sic morientur ut semper uiuant  
et sic uiuent ut semper moriantur.

Hugo libro I. de anima.

Sic tamen morientur, ut semper vivant;  
et sic vivent, ut semper moriantur.

Auctor incertus (Bernardus  
Claraeuallensis?), *Meditationes piissimae*  
*de cognitione humanae conditionis*, 3,  
10 (PL 184, col.491D-492A).